

et fortitudinæ, coercerentur, nec dure nimis eam tractarent; cui si contigisset illustri loco nasci, indolemque animi eam nancisci, qua ad imperandum idonei redduntur homines, temperantiam hanc reliquamque virtutem sprevisset, luxuriamque et intemperantiam, vt sunt, virtutes censuisset.

Haec Socrates primum similitudine, deinde argumentis ex ipsa rei natura ductis, absurda esse ostendit, indeque aliam esse naturae legem demonstrat, quae cupiditatibus imponat modum, et suum cuique iubeat tribuere. Vita, qualem descripsit Callicles, miserrima profecto foret, mortique simillima; vt recte dixerit is, qui nunc mortuos esse nos, corpusque nostrum sepulcrum esse, affirmavit, (est autem is Heraclitus, ideo fortasse hanc amplexus sententiam, quod anima, quamdiu in hoc vniuerso degimus, a Deo, vnde manauit, est seiuncta, vitae illius diuinae post mortem rursus, vbi Deo, instar guttae in mare cadentis, coniungeretur, futura particeps) vnde Siculus quidam aut Italicus vir eam nostri partem, cui insunt cupiditates, dolium nuncupavit, idque dolium in stultis et non initiatis esse perforatum, vt, quidquid infundatur, effluat, quos adeo iis, qui apud inferos in vas perforatum cribro inferre aquam coguntur, simillimos pronuntiauit. Siculum hunc videtur intelligere Empedoclem, quem Italicum a secta, quam maxime sequebatur, Italica nuncupat. Quo magis autem haec illustrentur, aliam addit imaginem: fac multa esse duobus viris dolia, integra alteri et plena vini, mellis, lactis, aliorumque fluidorum; perforata alteri et putrida, fluidisque paratu difficillimis repleta: ille de doliis haud admodum erit sollicitus; hic contra, vt quantum noctu effluit, interdium rursus affundat, multas magnas-

gnas-